Bibliothèque numérique

medic@

Montigny, Jean de - candidat / Patin, Guy - président. - Estne longae ac jucundae vitae tuta certàque parens Sobrietas ?

1647.
Paris
Cote : ms 77 n°967

PARIS biuSanté

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x0967

NOBILISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE VIRO,

NICOLAO DE BAILLEVL

REGI A CONSILIIS, IN SENATV PRÆSIDI, ÆRARII PRÆFECTO, ET REGINÆ CANCELLARIO, &c.

SI Virtutis ea eſt conditio, ut de ipſa iudicium ferri non poſſit, niſi teneatur (Præſes Illuſtriſſime) non poſſum de Sobrietatis viribus æquiorem Arbitrum aut ſapientiorem Te quærere, quem in omni vita ſequuta eſt. Hæc non modò aluit, ſed & auxit illuſtravitque gloriam Nobiliſſimæ BALLIOLORVM Gentis, quam ei peperit ex Majoribus tuis Ille qui Ducem Armoricum in acie ex equo dejectum & pené ab hoſtibus oppreſſum, fortiter in equum ſuſtulit, & Britanniæ Inſignia quæ Tibi gentilitia ſunt, à ſervato Principe promeritus eſt. Hæc Te HENRICO MAGNO & LVDOVICO IVSTO conciliavit, ut & ſuperioribus Regibus fortiſſimum Parentem tuum, de cujus Sobrietate conſtat, quia de illius virtute non dubitamus. Eſt enim Temperantia reliquarum omnium virtutum procreatrix, vel, ut cum Ficino loquar, omnis virtus. Hæc Te Eccleſiæ, Regi, Populoque addixit, cùm Senator, Libellorum ſupplicum Magiſter, Præſes Conſiſtorianus, Pariſienſis Prætor, in Senatu Præſes, ac tandem Ærarij Tribunus factus es. In quo certè Regina omni laude majorem cenſuit ſapientia, quæ Te tanto Muneri præfecit, cùm intelligeret neminem à cupiditate ſibi temperare poſſe, niſi Temperantem. Te ſcilicet in Regno quaſi in magna domo ſic conſtitutum exiſtimat, ut bona Regis quaſi communis Parentis pari diligentiâ ac fide Tibi adminiſtranda ſint. Ita verò rem privatam curas quaſi in parvo Regno non alium hæredem Tibi relicturus ſis, quam Populum. Sed ex quo fonte ducta ſunt iſta omnia niſi ex Sobrietate, quæ cùm plurima Tibi ſubtrahat, Te non Tibi, ſed Reipublicæ natum eſſe admonet? Eſt igitur tam eximia virtus omnibus ſummis Viris colenda, non quia voluptates fugit, ſed quia longe maximas [illegible]. Illa Te terris datum, Cælo reddet. Tibi largietur [illegible], quam omnes; [illegible], quam felices; [illegible], quam ſapientes; [illegible], quam Chriſtiani cupiunt. Non enim mors dolorum atrocitate terribilis eſt Temperanti, cui vitam non eripit, ſed ſubducit, cuius animum è corporis hoſpitio, ut è ruinoſa domo dimittit, non evellit, ut ſibi non tam timeri quam [illegible] videantur. Vitæ ſobriæ non poteſt non eſſe facilis meta. Fruere igitur illo Tuo bono, (Vir Maxime) qui vitam verè vitalem degis, cuius gloriam deſiderant omnes, imitantur pauci, vix aſſequuntur aliqui, & quam Tibi æternam, ſi non ex dignitate, at certè ex animo precatur

PRÆSES ILLVSTRISSIME,

Tibi addictiſſimus & obſequentiſſimus IOANNES DE MONTIGNY.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. MARTII,

M. GVIDONE PATIN, Doctore Medico & Chirurgiæ Profeſſore, Præſide.

Eſtne longæ ac iucundæ vitæ tuta certáque parens Sobrietas?

961.

Eſt igitur longæ ac iucundæ vitæ tuta certáque parens Sobrietas.

Proponebat Lutetiæ Pariſiorum IOANNES DE MONTIGNY, Abrincenſis, Anno R. S. H. M. DC. XLVII.